



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IX. Honesta ad opes via, nec cuiquam molesta, bona Oeconomia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

men etiam finitis stipendijs eximuntur à Valent. Theodol. Arcadio. c. 10. t. 48. de excusat. item illustres personæ, sed tantum à sordidis muneribus. Item studiosi, maiores 55. annis, c. 10. t. 49. si cæcus pater, morbo auriculari, vel podagra conflitantes, t. 50. ibidem.

CAPUT IX.

*Honestà ad opes via, nec cuiquam molesta,
bona Oeconomia.*

Oeconomia
facilis ad
opes via.

§. 1. **R**Eges, omnesque Principes satis sunt diuites, si boni Oeconomi fuerint. Si parsimonia, sed regali videntur. Prudens dictum Chilonis apud Laertium l. 1. Non posse præesse Reipublica, qui non præsit suæ domui recte: Est enim domus maxime similis ciuitati quæ gubernatur. Sed grauis mihi hic paratus aduersarius Megalonymus Parophæus. Ille omnem Oeconomiam à generoso Principe remouet; Quid tu nummularium ex Rege facis, vt instar Eucleonis circumspicet? amicos omnes offendat? Illum ad granaria, ad cellam vinariam, ad cæpas, & allia æstimanda deduces? Sit libera mens Principis, ad maiora fastigia rerum. Bella, pacem, fœdera, iustitiam administret, esse multa quæ sibi pereant, gaudeat: humiliores sublimitate suâ curas in alios conijciat. Sit discrimen inter Principem, & eius Procuratorem.

Oeconomia
an sit con-
tra digni-
tatem re-
giam.

Princeps li-
beralis esto,
sed iudicio.

§. 2. Plus mali illa adulatio, quam cogitari possit, adfert Reipublicæ, & Principem euerit. Principem magni animi, & quod inde sequitur liberalem esse volo. Ad liberalitatem autem pertinet, non vt temere profundat; sed accipiat, à quibus oportet, loco, tempore, modo quo oportet, conferuet, expendat, donet secundum rectam rationem. Hæc principem facere posse, nisi accuratam Oeconomiam rationem habeat, dico neminem. Nam si negligens sit rerum suarum hæc incommoda oriuntur; 1. Vt ipsi ad incitas redacti, callidissimi furum nummos ad fœnus locent. 2. Deinde vt inscius ditet hostes, eosque infensissimos efficiat. Caue enim credas eos, qui tuâ focordiâ abusi, vario peculatu rem fecerunt, tibi vnquam bene precari, mortuum te vellent, quamdiu timent. Deinde priuatis laboribus principem non occupo. Sed ostendo animaduertendi necessitatem. Inter tot oculos petentium, manus rapientium, linguas mentientium, principem velut aureum pecus constituis, & præcipis eum ne scire à quibus expiletur. Nec audio cum dicis Oeconomiam viros bonos esse præponendos; Faciet enim eos focordia principis malos, magna lucra, maior impunitas, nihil moderabile suadent. Tercio Oeconomia principis facilis est, ea neglecta curas adauget, & quod indignum est principi, facit anxias. Qui enim affatim habet, vnde viuatur, alijfque tribuat, iucunde ætatem transigit, cui in dies crescit æs alienum mordacibus animi sollicitudinibus subdere cogitur. Equidem permulta sibi perire, si cognoscit, nec indolet, nec iubet melius expendi, vix hominis nomine dignus est. Si ignorat, quid acceperit, quid habeat, quid cuique datum sit, sed tantum nouit panem quem edit, & quem dat parasito depeculanti, non nisi titulo tenus princeps est, exteris risui, subditis oneri, minutis quæstui, & seruus est seruorum suorum, præda furum purpuratorum.

Princeps
ignarus re-
rum suarum
miser est.

In eodem opere diuersi effectus.

§. 3. Cum igitur viderim, nouerimque homines, qui eadem vt videtur, agentes, & eadem curâ, diuersissimo euentu res administrant suas, cæpi mecum, cur ita fieret, cogitare. Ad diuinam quidem bene-

dictionem rei familiaris augmenta, ad maledictionem detrimenta referre ex Scriptura didici; quia tamen ordinaria miracula non sunt, de medijs, & industriâ hominum tam contrarios effectus esse deprehendi. Caius & Titius Agriculturam, & pecuariam exercent; alter opes accumulatur, alteri retro semper res labitur. Duo negotiantur, huic res crescit, illi decrescit; Duo habent rerum agendarum instrumenta, alter ordine collocata statim depromit ad vsum, alter agendi tempus quærendo impendit. Nonnulli magno sumptu aedes extruunt, quæ inutiles sunt, quia ratio architecturæ neglecta est, alij minore expensâ domos ad omnes vius idoneas concinnant, in quibus nullus angulus est, non accommodatissim⁹. Causa igitur est, quia alij arte quadam, ordine, & methodo negotia tractant, alij temere, vt vt sub manum veniunt, omnia transigunt, Qui canere organis discunt, magno labore vix leuem harmoniam efficiunt, instrumenta ipsa, quæ concinnare nesciunt, facile corrumpunt, ita priuati patrimonium, principes prouinciam suam, dum Oeconomiam nesciunt, aut contemnunt, magnis detrimentis afficiunt.

Nosenda
aconomia.

§. 4. Oeconomia quadruplex est, vt distinguit Arist. Oeconomicorum 2. Οικονομία τέσσαρες δὲ εἶσι δὲ ἐν τῷ ποτὶ διελθούτας γὰρ ἄλλας εἰς τὸ ἐμπιπτόντας ἐνέχουσιν βασιλική, σατραπική, πολιτική, ἰδιωτική. τούτων δὲ μέγιστη μὲν ἡ βασιλική, ἡ σατραπική, ποικιλοτάτη δὲ ἡ πολιτική, ἡ ἰδιωτική. ἡλαχίστη δὲ ἡ ποικιλοτάτη, ἡ ἰδιωτική. ἐπὶ κοινῶν μὲν τὰ πολλὰ ἀλλήλους ἀναγκάζοντες εἰν. ὅσα δὲ μέγιστα δὲ αὐτῶν ἐκείνοι συμβαίνει, τὰ ταῦτα ἐπισκεπτοὶ ἡμῖν εἰσι.

Sunt autem formæ administrationis domesticæ, vt in formatione quadâ res distinguatur, quatuor: nam ceteras in istas incidere reperimus: Regia, satrapia, ciuili, priuata. Harum maxima & simplicissima est Regia. Varia autem præ ceteris ac facilissima, ciuili. At priuata, minima illa quidem est, sed & ipsa admodum varia. Atque esse multa inter has communia necesse est: quæ aut per se in singulis eueniunt, ea nobis sunt consideranda.

Quadruplex
aconomia.

Regiam diuidit in nummariam, Εξαργώματα & εἰσαργώματα, & ἀναλώματα. de illis quæ importantur, & exportantur capite de tributis actum est, de sumptibus iam dicetur. Quod si regium est, denarijs, & aureis modum statuere, si omnibus rebus & rebus tributis imponere, si fraudare eum non potest, vel fixi ciceris emptor, si scrutatur vili vendentem scrutata popello, cur contra dignitatem fuerit, sic comparata tueri: rationem exigere: scire quò perueniant? Impositores igitur se produnt, qui regibus omnes sinus, omnia prædâdi vocabula suggerunt, centesimas, quinquagesimas, quadagesimas, viciesimas, decimas, quintas, columniaria, hostiaria, Chrysargyron, fumarias, cumque tot curis collecta ista fuerint, regem attendere verant, indignum esse dicentes paruis rebus adesse Ionem; quasi vero dignum sit Ionem paruis rebus ostiarum, & manipulatim corradendis adesse, ex omnibus cumeris sua granaria, ex omnibus zonis gazophylacia sua stipare, deinde ne Gryphis illis qui sunt ἀρπακτικώτεροι γαλῶν, furaciores felibus, desit occasio harpagandi, oculos claudere. Quid vero Aristoteles nonne discrete ponit τὰ ἀναλώματα, impendia, & sumptus. Hi, nisi fallor, principem suum magnanimitatis specie eo ducent, vt cum ratione insaniant; nam stultissimo eum labore consumunt, vt nempe omnes neruos ad colligendum intendat, collecta non seruet, quod perinde est ac si in dolium pertusum labore improbo aquas infundat; quodque Danaidum apud inferos supplicium esse hñxere poetæ, hoc illi dignitatem interpretantur; ne quicquam dubitare possit; hoc eos velle; vt princeps suo periculo, labore, odio emungat pecunia subiectos, quas ipsi deinde nescio principe in sua compendia vertant.

Parasiti
Regem vo-
lunt in con-
gregando
esse diligen-
tem, in cu-
stodiendo
negligentem.

Summa æ-
conomia.Ad tempo-
rum micer-
ta multa
reponenda
sunt.Ordo accu-
ratus.Ministri fi-
deles.Officij ra-
tione red-
dant.Turba inu-
tilis in aula
Turca.Insigne æ-
conomia
exemplum.Augusta
parsimonia
exemplum.

§. 5. Satrapica etiam ad Regem pertinent, hoc est, ut monet Aristoteles, quæ ἐκ τῆς γῆς, è terra nascuntur, de quibus accuratissimam rationem subducet. Omnibus verò in vnum redactis, hæc summa est æconomia, ne plus impendatur, quam accipitur, hinc enim mutua pecuniæ, oppignorationes, & maiestatis omnis decor diuitum fastui addicitur. Sed parum est, non plus impendere, quam accipias, si nihil ex industria reponas, quod ad incertos temporum casus assumatur. Cum enim magnos redditus possideant, magnos quoque acerrime thesauros possunt, non immundo principali splendore, sed ordine constituto. Qui semel in vsum productus efficit, ut absque villo labore rationes constent. Multa in λόγῳ διοικητικῷ Xenophon de ordine, qui si adhibeatur, tam facile numerosa palatij phalanx, quam parua domus regetur.

§. 6. Primo laborandum est, ut ministri fideles habeantur, quod quidem in paucis consequetur; nam in tot populus vix vna fides. Paucorum tamen fida pectora multorum rapacitati obistere poterunt. Deinde ne vllus sit ociosus, cuique sua munia assignentur, cuius rationem plerique eodem die, plurimicadem hebdomade reddere teneantur. Tercio purget aulam, & contrahat; ab inutilium turbâ hominum, qui nec profunt Principi, nec eum muniunt, nec splendorem adaugent, penitus liberet. Fecerunt magni reges & principes, qui magnam, decoram, regiam aulam habere, quæ populofam maluerunt. Inutilem turbam iudico, qualis est apud Turcarum Imperatorem. Primo n. factores aulici trecenti sunt in aula, si-
gnum magni luxus in vestitu. Item fabri ferrarij trecenti. Janizari noui 500. arci purgandæ, ministrisq; vilibus additi. Quadringenti qui canes, & Falcones curant, triginta luctatores, has aliasq; hominum quisquiliâs ad numerum moderatū redigere possit. Fecit hoc olim Antoninus Pius. Salaria (inquit Iulius Capitolinus) multis subtraxit, quos ociosos videbat accipere, dicens, nihil esse sordidius, imò crudelius, quam si Remp. arderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Vnde etiam Mesomedius lyricum salarium imminuit. Rationes omnium provincialium apprimè scint, & redigalium. Patrimonium priuatum in filiam contulit: sed fructus Reipublicæ donauit: species imperatorias superfluas & prædia vendidit: & in suis propriis fundis vixit variè ac pro temporibus: nec vllas expeditiones obijt, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, grauem esse provincialibus Comitatum Principis etiam nimis parci. Aureus sermo, Grauem esse Comitatum Principis, etiam nimis parci. Nam Comitatus preciosus est, & de quo publice magnifica est ciuitas, in eo priuatum est tyrannia. Quod splendide effunditur, acerbissime exigitur.

Alexander Seuerus: Malum dicebat esse Principem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec utiles Reipublicæ aleret. Circumspiciat Princeps aulam, quantumque hominum ad ocium & delicias sustentat, tantum se Reipublicæ pestem alere sibi persuadeat.

§. 7. Omni in re immodicos vitet sumptus, ut in gemmis, ædificatione, similibus. gemmas, ut capillos pueriles contemnat. Egregie Alexander Seuerus, ut refert Lampridius, Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris vsui non esse: matronas autem Regias contentas esse debere vno reticulo, atq; in auribus & baccato monili, & corona, cum qua sacrificium facerent, & vnicò pallio auro sparsò, & cyclade qua sex uncias auri plus non haberet. Prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. Imitati sunt eum magni viri, & uxorem eius matrone prænobiles.

Caligula è contrario nihil, quo prodigi solet pecunia, neglexit, itaque cum inuenisset aureorum ducenties tricies centena millia, ea ante annum tertium dilapidauit, ut Dion in Caligula. Sunt autem sexagin-

ta sex milliones nostrorum aureorum, duplo enim majores erant Romani, quod eo mirabilis erat, quia eo tempore rarior, & carior erat pecunia, plusque vno aureo, quam nunc decem, efficiebatur, bouem enim aureo emere poterant. Sed & quidam studiose omnia perdebant, ut monstrum illud, de quo Cornel. Ipse sola perdendi cura, stabula aurigis extruere, Circum gladiatorum ferarumq; spectaculus opplere: tanquam in summa abundantia pecunie illudere. Quin & natalem Vitellii diem, Caccinna ac Valens, editis tota vrbe vicatim gladiatorib. celebrare: ingenti paratu, & ante illum diem insolito.

Verum hoc fuit in quarta illa bestia, hoc est, Romano imperio, ut comminueret, & reliqua pedibus conculcaret, quocirca semper fuit publica egestas, & virorum, & pecuniarum, exemplum cape. Vopiscus in Probo. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores valide per milites radicibus enulsa, connexis longe lateq; trabibus affixæ sunt, terra deinde superiecta, totusq; circus ad syluæ confectus speciem gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille dæmæ, ibices, oues ferae, & cetera herbatica animalia, quanta vel alii potuerunt, vel inueniri. Immissi deinde populares, rapuit quisq; quod voluit. Addidit alia die in amphitheatro vna missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes confectis interempti sunt, non magnum præbentes spectaculum cum occidebantur. Neq; enim erat bestiarum impetris ille, qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt præterea multi qui diripere volebant sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum leones, & vrsi simul trecenti: quarum omnium ferarum magis constat spectaculum fuisse quam gratum. Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemius pleriq; prægrandibus, qui per triumphum erant ducti, pleriq; Germanis, & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris. Verum de impensis postea dicturus sum, quæ in munera, & donationes factæ. Nunc alia videamus.

CAPVT X.

Mercaturam augendam.

§. 1. DE negociatione duplex mouetur questio. Quidam enim mercaturam omnino prohiberi mallent in Republica. Vitia enim inuehit; alij tantum Rempublicam verant negociari. Habent illi rationes suas; Egregium esse, non querere externa, propriis esse contentos. Cic. Brut. Deinde importatis rebus ad luxuriam pertinentibus, relanguescunt animi, virtusq; remittitur. Cæsar. l. 2. bell. Gallici. Constata autem ὁλῆστον κακίας μάλλον, ἢ καλοκαρδίας ἀποπέσει εἶναι. Opes vitiorum potius, quam virtutis esse administras. Deinde ciuitatem mercatura facit egentiozem; quia sumptuosiore. Ex Hispania & Perùia ingens auri, & argenti vis adfertur, nec aliud ramen effectum est, quam ut ex abundantia pecuniæ rerum precia creuerint, quam ob causam postquam Indicum aurum ad nos peruenit, censum antiquæ tabulæ, quæ frumentum, vinumq; continebant soluendum, mutata sunt. Deinde ante Concini glia, Aniro, Xylo, Sandaracha, Saccharo, cana fistula, margaritis, argento viuo non egebamus, jam ambitio legem fecit, ut illis deliciis & venenis impleri ciuitates oporteat. Pulchre hac de questione loquentem Danubianum agricolam inducit Guevara l. 3. c. 4. horologii. Quod nullam in patria nostra Rempublicam, nullam politiam esse dicitis; sed brutorum nos instar syluestrium viuere, non magis, quam superiora illa, ratione vlla niti-tur. Nos enim in terra nostra negociatores mendaces, & turbulentos, aut qui ex peregrinis locis instrumenta inuehant vitiorum & luxuria, minime ferebamus. Itaq; cum in vestitu honesti essemus, & in victu sobrietate gauderemus; commercij multis minime indigebamus. Quamquam autem non sunt

Prodigi
Principes
odia omni-
um incur-
runt.Rom. impe-
rio veteri
ppria pro-
digalitas.Negociati-
onis incom-
moda sunt,
ut omnium
reru, qua-
rum vsus,
& abusus
esse potest.Mercatura
facit, ut
multis ege-
amus, quæ
ante ignota
fuerunt.